

charitate primum inardesceret, tantumque non deliraret, dein alios supremi Domini amore inflammaret; ut esset tanto Dei amore succensus, ut ipse ardentem diligeret, et alios, ut diligerent, sic moneret. Nam ut frigidus et gelidus legislator subditis multum ignem, aut flammam subiciat, id communis virium creaturarum conditio non fert, et moraliter fieri nequit. Tametsi enim aliud sit lex, aliud legislator, et possit esse lex bona, quamvis legislator sit malus, nihilominus experientia teste scimus, nunquam continentius, et religiosius, magisque pie, ac sobrie vivere subditos, quam cum Principes et quiescent alii Superiores legis vigorem, suæ exemplo vite fovent, acunt, confirmant. S. CHRYSOL. s. 24.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Abbas Pœmen dixit, hominem, qui alios docet, et non facit ea, quæ docet, similem esse fonti alto, qui omniam res lavat, et omnes satiat potu, seipsum autem lavare non potest, sed habet immunditias et sordes. *Vit. PP.* n. 183.

Paphnuntius dicere solebat, orationes spirituales, quæ non a vita honesta comitantur, esse spicas, quæ a vento intereunt, quæ haudent quidem figuram spicæ, sed alimento carent. *Ibid.* l. viii, 25.

Deus olim vetuit: Ne accipias a fratre tuo usuras, nec amplius, quam dederis. Super quæ verba Flavianus: Qui sunt, ait, qui usuras accipiunt, nisi qui ad ea cogunt alios, quæ ipsi non faciunt, quorumque exemplum illis non præberunt? Hi sunt enim, qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo nolunt movere. *GRANAT. Loc. Com.* 378.

Sed et alibi dixit Deus: Non seras agrum diverso semine. *Ibid.* LEV. xiv, 19. Quod idem auctor ad exemplum applicans: Ager, inquit, est Ecclesia, de qua Paulus ait: *Dei agricultura estis.* Diversum autem semen seminatur in hoc agro, qui dicit, et non facit, quæ loquitur, sed contraria operatur, verbo triticeum spargens, exemplo autem semen stipularum in corde proximi jaciens.

Cancer marinus, cum prolem suam in littore tam distortos gressus adverteret facere, ideoque increparet, et recta incedere juberet, audiit ab illa, præcederet modo ille,

mox se secuturam. *ENGELG. Embl.* xviii, *Luc. Evang.*

Veteres sacerdotem depingentes eidem in una manu solem, in altera horologium tribuebant, innuere volentes, eum non tantum illuminare, sed etiam vitæ exemplo dirigere alios, vitamque suam dietis, velut horologium soli conformare debere. *Ibid.*

Carolus Quintus dicere solebat, se, ubi civitatem ingrederetur, tria P. P. inquirere, ac observare. An bonus in ea sit *Pastor, Prætor, Præceptor?* Quibus salvis, se non dubitare de bono statu reipublicæ. *Ibid.*

Solon populares homines Principum umbras vocabat; ut enim umbra figuræ corporis, ita hi Principum mores adumbrant, et a corpore curvo frustra recta umbra expectatur. *Ibid.*

Alius, vulgus speculum Principum appellabat; ut enim hoc ridenti aridet, flentem dellet, gestientis gestus refert; ita vulgus Principum nutus ac mores in se exprimit.

S. Scriptura patientiam Job descripturæ præmittit: Vir, seu, ut Chaldaei vertunt, homo quidam erat in terra Hus, nomine Job, quod, teste S. Chrysostomo, ideo factum, ne quis certaminum ac patientiæ spectatæ magnitudine incredibili, peregrinam, et non humana natura præditum arbitraretur; ideo naturam a proximo ponit aspectu. S. CHRYS. *in cit. loc.*

Quando instruxit Deus Moysen de fabricatione Sanctuarii, non solum dixit ei, quomodo singula facere deberet, sed etiam ei exemplar obtulit, illudque inspicere jussit, bene videlicet sciens, exempla magis instruere, quam verba. *NUM.* 10. Sed et ante legis promulgationem, secum quadraginta diebus et noctibus in monte habitare voluit, ut tantum esset Dei amore accensus, ut ipse ardentem diligeret, et alios, ut diligerent sic, moneret, quemadmodum S. Chrysologus notat. *EXON.* xxiv, 18.

Dum de pastoribus S. Lucas dicit, quod reversi glorificaverint Deum, sicut dictum est ad illos, quærit Nyssenus, quomodo hæc verba addere Evangelista potuerit, cum Angeli solum dixerint: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator? et respondet, cum Hugone cardinale: Referunt laudes et gloriam Deo, non quod Angeli imperassent laudare, sed quia ipsi laudando offerebant formam devotionis suæ, dum dicunt: Gloria in altissimis Deo! *LUC.* ii, 20.

Herodias a matre caput S. Joannis petiit, id quod demon suggestit, ut S. Chrysologus notavit dicens: De matris pectore dat rugitum nova bellua, contempta corporis præda, caput ipsius truncatura pervadit, sciens in capite omnem perniciem aut felicitatem rerum publicarum esse positam. S. CHRYS. s. 127.

Nyssenus quærit, cur ad nuptias Rex Evangelicus miserit servos dumtaxat, ad operarios vero conducendos ipse iverit? et respondet, ad nuptias utpole rem gratam nullo motivo fortiore opus fuisse, secus vero in invitatione ad labores; hinc ipsum Dominum exemplo suo invitare voluisse.

UTILITAS. — Joannes II, Rex Lusitanie, cum amicus medicum ægrotaret, et potionem acerbam a medico porrectam bibere nollet, calcem arripuit et prægustavit, ut suo exemplo ad bibendum incitaret. *ENGELG.* p. 2, *Col. in Fest. S. Jac.* § 1.

S. Bernardus super illa verba: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum etc., pulchre sic discurret: O pulchra, o felix, o beata, odissere nobis hujus distinctionis rationem. *Trahe me*, ais; quare *me*, et non *nos*? An hoc bonum invidet nobis? Absit. Neque enim proliius dixisses, adolescentulæ tecum esse cursuras, si sola post Sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjuncturæ *curremus*, trahi te singulariter postulasti? Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim; current et adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, ille meo excitatæ exemplo et hortatu. S. BERN. s. xxi, *in Cant.*

Recte Seneca:

Rex velit honesta, nemo non eadem velit.

SENEC. *in Trag.*

Magnorum virorum non minus memoria, quam presentia est utilis, sapienter quidam dicebat. *Apud BERN.* tr. II, *in Fest. Nat.*

Bonum exemplum virgis Jacobi in canali ovium positus simile est; quales enim colores ipsum habebit, tales habebunt et ii, qui conspiciunt illud. *Ibid.*

AXIOMATA.

Qualis Rex, talis grex.
Qualis est Rector civitatis, tales et habitantes in ea. *ECCL.* x, 2.

Princeps amans mendacia, habet omnes ministros impios. *PROV.* xix, 15.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Per sancta et pia exempla,
Deo parantur gratissima templa.
Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla.
Optimus orator, qui factis suadet.

AUCTORES.

Joannes Buseus, *in Panario*, V. Exemplum malum.

Gregorius Stengelius, in toto libro inscripto: *Vis et virtus Exemplorum.*

Ludovivus Granatensis, *in Locis Communibus*, f. 337.

Nicolaus Lancizius, opusc. 13, c. iv.
Josephus Langius, *in Polyant.* V, eodem.
Thomas Stapletonus, text. 2. *Dom.* 15, et t. 8. *Dom.* 20, post *Pent.* Item, t. *Dom.* 6, post *Epipl.*

Laurentius Beirlinck, text. 3, *in Festo Epipl.* et t. 2, *in Festo Nativit. Dom.*

FAMA

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inveterata in hominum mentibus de quopiam opinio. Unde aliqui a fando dictam putant. Differt autem a rumore, quod hic de facto adhuc recenti exoriatur, non item fama.

DIVISIO. — Dividi in *bonam* et *malam*. Illa est, quæ ex laudabilibus factis oritur; hæc, quæ ex malis facinoribus generatur, qualis erat filiorum Heli, de qua ipse dicebat: Nolite, filii mei; non enim est bona fama, quam audio.

EX S. SCRIPTURA.

NECESSITAS. — Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et laqueum diaboli. *I TIM.* iii, 7.

Charissimi, obsecro vos, tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideris, quæ militant adversus ani-

mam, conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrahet de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. I. PETRI. II, 12.

Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahit vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. *Ibid.* c. III, 16.

Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *ROM.* XII, 17.

UTILITAS. — Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. *ECCLESII*, XLI, 13.

Bonæ vitæ numerus dierum; nomen autem bonum permanebit in æternum. *IB.* 16.

Lux oculorum lætificat animam; fama bona impinguat ossa. *PROV.* XV, 30.

Melius est nomen bonum, quam divitiæ multe; super aurum et argentum gratia bona. *PROV.* XXII, 1.

Oleum effusum nomen tuum (id est, fama tua, ut habet Chaldaica paraphrasis sic loquens: A voce miraculorum tuorum et potentie commoti sunt omnes populi, qui audierunt famam potentie tuæ; et Nomen sanctum tuum auditum est in universa terra, quod electum est magis, quam oleum, quo unguuntur capita Regum et Sacerdotum. *CANT.* I, 2.

EX SS. PATRIBUS.

NECESSITAS. — Quisquis a criminibus flagitiorum vitam suam custodit, sibi bene facit; quisquis autem etiam famam, et in aliis est misericors; nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. S. AUG. *de Bono Viduit.*

Sic Doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Idem, de Doctrin. Christiana.*

Opera salutis sine fama boni odoris non satis reuolunt auditoribus; nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri Sacerdotis non commendatur. S. HIERONIMUS. *in c. IV, Matth.*

Hi, quorum vita in exemplo posita est imitationis, debent, si possunt, detrahentium

verba comescere, nec eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, et ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. S. GREGORIUS. *hom. IX, sup. Ezech.*

Qui confidens conscientia negligit famam, crudelis est, quia aliorum animas occidit. S. AUG. *in serm.*

Apostolici præcepti et exempli est, ut habeamus rationem non tantum conscientie, sed etiam famæ. S. HIERONIMUS. *ep. XIV, ad Celant.*

Duo sunt tibi necessaria, scilicet conscientia et fama; conscientia propter te, et fama propter proximum. S. CHRISTIANUS. *hom. de Comm. serm.*

Fama bona coram hominibus est necessaria. S. ANSELMUS. *sup. Epist. ad Cor.*

Minus tatum est rumores subnascentes negligere, quam eis non credere. S. HIERONIMUS. *in quadam Epist.*

Cave omnes suspensiones, et quidquid probabiliter fingi potest seu dici, non fingatur, ante de vita. S. AUG. *in I. Confess.*

UTILITAS. — Hoc nature thesauris repenimus, quod famæ commodis applicamus. CASSIODORUS. I. II, *epist.*

Inclty animi signum est famæ diligere commodum, et lucra causam negligere; nam qui affectat famæ suæ commodum, pecunie negligit augmentum. S. HIERONIMUS. *in quad. Ep.*

Ubique cognoscitur, quisquis fama teste laudatur. CASSIODORUS. I. VIII, *ep. XXIII.*

Bona fama nihil est præstantius, ac melius, nec Crossi thesauros quisquam cum ea comparaverit. Tales enim esse censetur, qualis fama cujusque est; huic aures intenduntur, et oculi. Melius omnibus, quam singulis, creditur, singuli enim decipere, et decipi possunt, nemo omnes, neminem universi fefellerunt. *Idem*, I. I, *ep. III.*

Dum e copia plurimum solet habere fastidium, bonum nomen repetitum semper efficit gloriosum. *Idem*, I. I, *ep. V.*

Honesta fama multa comoda, quamvis non affectes, secum trahit. *Idem*. *PEL.* I. III, *ep. CXXII.*

EXEMPLA.

Christus ipse famam suam defendit, cum dixit: Ego Dominum non habeo. Et iterum: Si bene locutus sum, cur me cædis? Si male, testimonium perhibe de malo. *JOANNES*. XVIII, 32.

S. Paulus de seipso dicit: Deo autem gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus. *II. COR.* II, 14.

S. Antonius pro Ariano proclamatus, ut hanc infamiam a se repelleret, relicta eremi solitudine, Alexandriam usque descendit, et publice Arianam hæresim detestatus, Catholicamque fidem professus est. S. ATHANASIOS. *in Vita.*

S. Basilus ambitionis et hæresis notam a Neocæsariensibus sibi inustam, per epistolas et publicam orationem habitam abolere conatus est. *Idem* S. Augustinus de Pelagiana hæresi accusatus fuit. Imo S. Laurentius Justinianus dicere ausus est: Quis Sanctiorem ad profectum cæterorum, famam suam neglexisse cognoscitur? *LANCETUS*, *opusc. IX, c. VII.*

Judith in omnibus erat famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. *JUDITH.* VIII, 8.

Eleazar ab Antiocho ad carnes porcinas comedendas instigatus, cogitare cepit etatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenite nobilitatis canitiem, atque a puero optima conversationis actus, et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum, non enim etati nostræ dignum est fingere. *II. MACHABEUS*. VI, 23.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut ignis semel accensus facile servatur, extinctus haud facile reacenditur; ita famam tueri facile est, extinctam reparare, difficillimum. *PLUTARCHUS*. *in Mor.*

Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur corpus; ita quibusdam statim contingit fama, quibusdam post mortem; denique ea, quo longius sequitur, hoc major esse solet. *SENECCA*, *apud Lang. V. eodem.*

Sicut aromata tum vehementius fragrant, cum teruntur, aut franguntur; ita virtutis fama latius spargitur, cum exercetur negotiis et rebus adversis.

Sicut ingentes obelisci magno quidem labore statuuntur, sed semel collocati infinitis durant sæculis; ita arduum est virtutis ad sapientiam parare famam, sed parata nunquam intermoritur. *Idem.*

TOMUS II.

NECESSITAS. — Sicut fœtor extinctæ candele de sevo offendit nares; sic fama perditâ tetrum gignit odorem hominibus, bonos offendit et scandalizat, et malos in malo firmiores facit. *FABIANUS*. *con. VI, in Festo SS. Petri et Pauli n. 1.*

UTILITAS. — Sicut columbæ balsamo delibutæ alias alliciunt, et secum in columbarium deducunt; ita qui bonæ famæ odorem habent, alios ad virtutem amandam alliciunt, juxta illud Apostoli: Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt. *Ibid.*

Sicut cortex, licet vilior sit arbore vel nucleo, conservat tamen illas, quo minus corrumpantur; ita bona fama, licet minus bonum sit, quam virtus, virtuosam tamen et honestam vitam conservat. *Ibid.*

Sicut qui vestem novam gerit, non in quovis loco consistet, sed tali dumtaxat, qui vestem maculare non credatur; ita qui bonum nomen habet, cavet ne ejusmodi actiones committat, per quas macula suæ famæ inuratur.

MOTIVA.*Ad Famam conservandam.*

Quia Deum glorificat; hinc Christus apostolis dixit: Sic luceat lux vestra (id est, vita bona) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *MATTHEUS*. V, 16.

Quia proximum edificat; hinc S. AUG. dixit: Duæ res sunt, conscientia et fama; conscientia tibi, fama proximo necessaria est. S. AUG. s. 2 *de Vita comm. Cler.*

Quia nos ipsos a malo retrahit, et ad bonum continuandum et agendum excitat; sicut Principes vel Reges memores suæ dignitatis, dedignantur seorsis se miscere, sed potius gravitatem, moresque statu suo dignos assumere nituntur.

MEDIA.*Ad eandem.*

Rora cum hominibus conversatio; nam, ut recte advertit Thomas Kempensis, quandoque accidit, ut persona ignota ex bona fama luceat, cujus tamen præsentia oculos intuentium offuscet. L. I, *de Imit. c. VIII, § 2.*

Canta et moderata locutio; hinc Epictetus

rogatus, quo pacto quis bonam famam assequi queat? respondit: Si vis bene audire, discito bene loqui; et cum bene loqui didiceris, recte facere conator, et hoc modo bonam famam assequeris. In eundem sensum Agesilaus respondit: Si loquatur, que sunt optima, et faciat que sunt honestissima. STOB. s. III.

Stadium bonæ vitæ: ita Socrates docuit dum quæsitus, quo pacto quis honestam famam assequi possit? respondit: Si talis esse studeas, qualis haberi velis. PLUTARC. in *Lacon*.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia bene observare debet. *Primum* est, ut non persuadeat sibi, posse facile quampiam apud omnes homines bonam famam obtinere; nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, fieri non potest, ut, qui virtutibus dediti sunt, ab omnibus audiant semper bene; et illud præterea, ne virtutis curam agentibus viris multi ubique detractores insurgant. Bona enim apud omnes fama, signum certe vel maximum est, haud multam sane virtutis habere rationem. Quomodo enim a cunctis laudetur, si quis affectos injuria homines ab improbis eripere studeat? Rursus vero si peccatores castigare, justos laudare velit, ut par est, laudabit hos quidem, vituperabit illos; ita qui virtutis exquisitus imitator esse voluerit, nec ullius præterea, nisi laudem Dei querere, is ab omnibus laudari, et bene semper audire nullo modo poterit; quippe in virtutem multa ubique vitii convalescit insaniam. S. CHRYS. *hom. de Virt. et Vit.*

Secundum est, ut sciat, quando fama sit defendenda, nimirum in duobus præcipue casibus. 1. Quando quis a Superiore jubetur, rei alicujus gesta seriem, prout se habet, narrare. Sic S. Dorotheus docuit his verbis: Si audieris dici, te fecisse aliquid, quod non feceris et interrogatus fueris, verumne sit, quod fecisse diceris, rem omnem ordine suo cum veritate manifesta. 2. Si infamatio rectæ administrationi numeris, aut ordini, aut domicilio, vel communitati, aut etiam privato cuiquam noceret. Sic enim S. Bonaventura monuit, dicens: Si vero criminationes objectæ, et non purgatae, possent alios scandalizare, tum humiliter

indicandum paucis verbis et modestis, quod non sis tibi conscius eorum, de quibus accusaris. S. BONAV. *de Inform. Novit.* p. 1, c. VI.

Tertium est, ut sciat, quomodo famam suam defendere debeat, videlicet, ut, cum amor nostri inordinatus offuset rationem, suggeratque damnum ex nostri infamatione aliis oriturum esse, præmissa prius oratione, se prius in equilibrio, immo potius ad silentium, quam ad defensionem constituit, et tum a Superiore vel Confessario consilium petat, et quod hi suaserint, exequatur.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quantas vires habeat famæ desiderium, ostendit, qui Diane Ephesiæ templum incendit, ut nomen ejus in orbe viveret. BEIRLINCK. in *Apoph.*

Pausanias, cum Hermoclem percontatus, quomodo clarus evadere subito posset, et audivisset, id obtenturum, si virum illustrem occideret, continuo Philippum interemit. Idem, *tex. 1. in Fest. SS. Petri et Pauli.*

Hieronymus Olgiatus occiso Galeatio Sfortia, Mediolanensium Duce, rogatus, quomodo tantum scelus perpetrare potuisset? Solo desiderio famæ, respondit. Imo cum jam tormenta adhiberentur, paululum se recolligans: Age, inquit, Hieronyme! Stabit vetus memoria tui facti; mors acerba, fama perpetua. *Ibid.*

UTILITAS. — Plato rogatus, equod futurum esset ipsius monumentum. Primum, respondit, nomen parandum; ita monumenta futura sunt multa.

Antisthenes iis, qui solam immortalitatem appetere, viam ad hanc dixit esse bonum nomen, quam Bias matrem annorum dixit. *Ibid.*

Seneca dixit, honestum rumorem, alterum esse patrimonium.

Non imperite cecinit Plautus:

Ut fama est homini, exinde solet pecuniam invenire;
Ego si bonam famam mihi servassem, sat ero dives.

Demetrius Phalereus, Atheniensium Præfectus, cum in exilium fugere compulsus, audivisset trecentas illas statuas, quas ei Athenienses ob præclara facta extruxerant, ex invidia dejectas et in matulas per ignominiam conflatas esse, subridens dixit: Statuas quidem evertere invidi poterunt,

virtutes autem, et præclara gesta, quibus præmia imagines illæ extiterunt, namquam abolere poterunt. PLUTARC.

NECESSITAS. — Hanc satis indicavit, qui dixit: Omnia si perdas, famam servare memento.

Nec male Cicero dixit: Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis, sed etiam omnino dissoluti esse. CICERO, I. I, *de Offic.*

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. 9. c. VII.
Mathias Faber, conc. 6, in *Festo SS. Petri et Pauli.*

Laurentius Beirlinck, text. 1 in *Festo SS. Petri et Pauli.*

Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eod.
Petrus Bessæus, in *Dom. 9 post Pentec.*

FELICITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtutis operatio, et usus perfectus, secundum Aristotelem. Vel est id, quod vitam sufficientem, optabilem, ac nullius indigam præstat. ARIST. I. VII, *Polit.*

S. Ambrosius dixit, beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suavitate conscientie, virtutissublimitate. S. AMB. *de Offic.*

DIVISIO. — Ludovicus Granatensis triplicem distinguit felicitatem: *Mundanorum*, qui student omnibus bonis sæculi affluere; *Philosophorum*, qui in contemptu terrenorum bonorum felicitatem ponunt; unde Seneca dixit, eum, qui desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendere; *Christianorum*, qui in perfecta Dei per amorem fruitione felicitatem suam quærent, juxta illud Davidis: Beatus dixerunt populum, cui hæc sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. PS. CXLII, 45. Sed priores due sunt minus proprie felicitates, ut ex definitione patet. GRANAT. in *Loc. Com. f. 565.*

EX S. SCRIPTURA.

Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in

pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? ECCLES. XXXI, 8.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! PS. XXXII, 42.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. IS. III, 12.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. PS. CXLIII, 15.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Amanthomines res diversas, et quando quisque quod amat, habere videtur, felix vocatur. Vere autem felix est, non si id habet, quod amat; sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quam earendo; amando enim res noxias miseri, habendo sunt miserosiores. Et propitius Deus, cum male amamus, negat, quod amamus; iratus autem dat amanti, quod male amat. S. AUG. *super. Ps. XXVI.*

Hoc scio, Domine Deus meus, quia ubicumque sine te, male mihi est præter te, non solum extra me, sed etiam in me ipso; quia omnis copia, quæ Deus non est, egestas est mihi. Idem, in *Medit.*

Væ anime auctici, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa, et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia; et tu solus requies, et ecce ades. *Ib. Confess. I. VI.*

Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, replei omnino non potest; capacem enim quidquid Deo minus est, non implet. BERX. *s. de Dedic.*

Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate; nec autem securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. S. AUG. *de Lib. Arbit.*

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quaeratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. *Id. s. XXIX, sup. Mat.*
Beatum esse tam magnum est bonum ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint boni. *Id. in Ps. CXVIII.*

Vides impuros improbosque homines fortunatos agere, justos autem infortunatos esse multisque afflictari incommodos, nec

tibi tamen facti hujus ratio constat. Dic, ut jumentum factus sum; verumtamen ego semper tecum; quod si et causam quaeris, cogitato Deum diem constituisse, in quo universum orbem judicaturus est, ita fiet ut ab animo omnem executis dubitationem, tum enim pro meritis quisque suis mercedem recipiet ad Lazari et divitis exemplum. S. CHRYS. hom. 9, ad Rom.

S. Paulus agit gratias ob bona aliena; quid iis fiet, qui non solum gratias non agunt, sed etiam tabescent invidia? *Id. Hom. II, ad Thess. 2.*

Videtur ut plurimum humana natura in adversis quidem rebus modestam colere, in secundis autem petulantem se præbere. *ISID. PELLUSOTA. l. III, Epist. CCXIII.*

Infelix qui omnia novit, et Christum nescit, qui autem Christum et illa novit, non propter illa beatus, sed propter Christum solum. S. AUG. *super Joan. c. XVII.*

Beati immaculati in via, tanquam diceret: Scio quid velis, quaeris beatitudinem. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. *Id. super Ps. CXVIII.*

EXEMPLA.

S. David, in quo poneret felicitatem suam, ipse indicavit, dum dixit: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. *Ps. LXXVI, 4.* Et iterum: Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui. *Ps. XXXVI, 4.*

Salomon, postquam nihil negasset oculis, nec prohibuisset cor suum, quin omni voluptate fruere, et oblectaret se in his, quæ præparaverat, vidit tamen in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. *ECCLES. II, 10.*

S. Ambrosius, cum apud divitem quemdam hospitem divertisset, et ille se nihil in vita adversi passum esse jactaret, e vestigio cum suis recessit, dixitque se discedere, ne cum homine perpetuis prosperitatibus uso statim periret. Vixque recesserat, et ecce totum hospitium cum omnibus incolis vidit hiatus terre absorptum. *MARULUS, l. V, c. III.*

Constantinum Magnum non supplican-tem demonibus, sed ipsum verum Deum colentem, Deus tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. S. AUG. *l. V, de Civit. Dei c. XXVIII.*

Contigit Theodorico, Regi Gothorum, non

vulgaris felicitas; fuit hic Christiani nominis, sed Ariana fide infectus. Is Italiae imperio potius, vix tam feliciter est terram adeptus, quam pacate postea annos LX, et amplius possedit. *SABELLIC. lib. VII.*

Nicolaus Pontifex Maximus, Serzanæ in Hetruscis ortus, unius anni spatio per tres supremos dignitatis gradus, magnæ fortunæ, sed verius providentiæ suffragio, ad pontificatus maximi fastigium evehctus est. *Ibid.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut nihil juvat ægrem lectus, quem pedes aurei fuleant; sic neque stultum felicitas externa. *ANST. apud Stob. s. 101.*

Sicut nec ignis, nec terra, nec aliud, quod ex elementis mundum constituit, sed omnia simul; ita felicitas quoque nec in corporis, nec in animæ solius bonis consistit, sed in congerie utrorumque. *PULLO JUB. in l. Quod deter. pejori insidietur.*

Sicut histrio non est felicius, quod in scenis adornatus, Rex aut Deus videatur; sic nec homo fortunæ muneribus felix censeri potest, cum omnia non propria, sed aliena sint. *SENEC. in Moral.*

Sicut tota vita corporis anima est; sic beata vita animæ Deus est. S. AUG. *de Lib. Arbitrio.*

Sicut materia prima, quia potentia est, semper appetit, quod habere nata est; ita cor hominis, quia omnium bonorum capax est, semper ad ea, quibus caret, inhiat, semperque odio presentium, et cupiditate futurorum laborat. *GRANAT. Loc. Com. f. 858.*

Sicut unus sol magis, quam omnia cœli luminaria, mundum illuminat; ita unius Dei possessio magis satiat, quam si omnes res creatas quis possideret. *Ibid.*

Sicut pueruli, cum a parentibus aliquo mittuntur, spectaculis rerum occurrentium occupati, omittunt id facere, propter quod missi sunt; ita multi homines rerum humanarum pulchritudine capti, finis, ob quem in hunc mundum missi sunt, obliviscuntur. *Id. f. 859.*

Sicut vas triangulare a globo penitus repleri non potest; ita cor humanum triangulare per totum globum mundi satiarum non potest, sed per solam SS. Trinitatem, ad quam capiendam factum est, repleri potest. *Ibid.*

Sicut ossa humana, si in loco sibi a Deo præfixo manent, dolorem non incutiunt, secus vero, si extra hunc locum violenter moveantur; ita cor hominis in Deo velut centro suo quiescit, extra illum vero irrequietis motibus agitur.

ASCETICA.

Tria de felicitate præcipue bene nosse debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, felicitatem in summi boni possessione consistere, atque adeo in nulla re creata felicitatem objectivam hominis constitui posse, cum omnis talis res finita sit, ac proin capacitate appetitus humani explere non queat. Solus ergo Deus felicitas objectiva dici potest, ac debet. *LESSUS l. II, de Summo Bono t. I.*

Alterum est, ut pariter sibi persuadeat, hujus boni possessionem non aliter, quam per unionem moralem, seu amorem, fieri posse; per hunc enim amorem conjungit se homo cum summo bono, atque adeo ipso, quo modo fieri potest ordinaria via, fruatur.

Tertium est, ut sciat, hunc amorem duplicem esse, affectivum scilicet, et effectivum, per quorum priorem gratulatur homo Deo suum esse, gaudetque ipsum esse summum bonum, quod ab omnibus jure merito appetatur; per posteriorem vero omnia, quæ vel intra se, vel extra se agit, ad hujus summi boni seu Dei majorem gloriam, et beneplacitum ordinat.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Thales interrogatus, quis esset felix? respondit: Qui corpore sanus et animo eruditus seu castigatus est; cupiditates enim animi morbi sunt. *LAERT. l. I, c. 1.*

Diogenes veram felicitatem dicebat, quæ faceret, ut mens et anima in perpetua tranquillitate hilaritateque collocaretur. *Stob. ser. c1.*

Socrates querenti, quid esset felicitas? Voluptas, respondit, quam nulla poenitudo sequitur. *Ibid.*

Antisthenes rogatus, quid esset mortalibus beatissimum? Felicem mori, respondit. *LAERT. l. VI, c. 1.*

Jamblicus felicem esse dicebat, qui Deo quantum fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus, et separatus ab humana vita. *Stob. ser. c1.*

Nil beata vita desiderat, nihil requirit, nihil eget, sed seipsa contenta est. *ANSTOR. l. X.*

Omnis est deorum beata vita, hominum autem, quatenus in ea elucet quoddam actionis ejus exemplar. *Id. c. VIII.*

Scito, eum non bonum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluit, sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum et mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatim velit, qui hominem ea solum parte æstimat, qua homo est, qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa præscripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit. *SENEC. ep. XLIII.*

Nisi stabili et fixo, et permanente bono, beatus esse non potest; nihil enim inventascere, nihil exingui, nihil cadere debet eorum, quæ in vita beata consistunt; nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit. *CICER. v, Tuscul.*

Solon dicere solebat, neminem ante mortem beatum dici posse; solam enim hæc ostendere, qualis unusquisque fuerit, dum vivit. *PLUTARC. in Græc. Apoph.*

AUCTORES.

Leonardus Lessus, *de Summo Bono.*
Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus, f. 853.*

Josephus Langius, *in Polyantha, V. eodem et V. Beatitudo.*

Laurentius Beirlinck, *V. eod.*

FERVOR.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est ardens et efficax desiderium vocationi suæ perfecte satisfaciendi. Hæc enim respexit Stracides, dum dixit: In omnibus operibus tuis præcellens esto; ne dederis maculam (per socordiam et teporem) in gloria tua. *ECCLES. XXIII, 23.*

Divisio. — Duplex est fervor, juxta Ludovicum de Ponte: Alter, inquit, est juvenum Tyrannum qui ollarum instar ad magnum ignem appositarum vehementer fervent, et, quod intus habent, strepitu quodam exterius effundunt. Alter est fervor gravis hominum perfectiorum, substantialis plane et pacatus, instar alicujus ollæ ad moderatum ignem ferventis, meliusque coquentis, quod continet, qui fervor etiam est diuturnior. *Vita P. Balthas. Alv. c. XXXII.*

ACTUS. — Sunt iidem fere, qui in olla aquis plena et fervente reperiuntur. Primus est *caloris intensio*, per quem significatur ardens charitas, solum Dei beneplacitum per purissimam intentionem quaerens.

Majoris spatii occupatio; per quam intelligitur applicatio prompta animi ad ardua quævis objecta, quæ ad majorem Dei gloriam, proximique salutem promovendam magis idonea videntur, de qua Thomas Kemp. dicit: Amor Jesu nobilis (id est, fervens) ad magna operanda impellit, et ad desideranda semper perfectiora excitat. Modum sæpe nescit, sed super omnem modum fervescit. Valet ad omnia, et multa implet, et effectui mancipat, ubi non amans deficit, et jacet. *THOM. KEMP. l. XXX, c. v.*

Elevatio aquæ in altum contra naturam; per quam significatur violentia, quam sibi ipsi fervens Religiosus infert in difficultatibus; inter operandum occurrentibus; nam, ut idem auctor ait, oportet amantem (ferventem) omnia dura et amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

EX S. SCRIPTURA.

Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. *Prov. IV, 8.*

In omnibus operibus tuis præcellens esto; nec des maculam in gloria tua. *ECCL. XXXIII, 23.*

Emulamini charismata meliora; et adhuc excellentiorem viam vobis demonstrabo. *1. Cor. XII, 31.*

Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. *ROM. XII, 11.*

Surge (per penitentiam) propera (per fervorem) amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. *CANT. II, 10.*

Et animalia ibant, et revertebantur in

similitudinem fulguris coruscantis (propter promptitudinem et fervorem in mandatis Dei perficiendis). *Eccl. I, 14.*

Et factus est (fervor seu zelus) in corde meo sicut ignis exstans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens. *JER. XX, 9.*

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Affectus tuus nomen imponit operi tuo; quomodo a te proficiscitur, sic æstimatur. Vides, quam morale Judicem te habes, te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat. *S. AMBR. l. II, de Offic.*

Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam passu, sicuti ii, qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, ut Domini recordentur. Quidam modesto incessu, sicut hi, qui Domini servitio mancipati, Deo quidem serviunt, et tamen erga seipsum indulgentiores existunt. Alii veloci, id est, rapido cursu, sicut ii, qui super carne sua intuentes, et se, et transitoria contemnent, celeriter proficiscuntur ad Deum. *S. BERN. in l. Sent.*

NECESSITAS. — Magnum quoddam est, charissimi, generosus et ingens animus, et propterea promptitudine nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito, alioqui non licet, nisi cruci confixum, regnum assequi, ne nosmetipsos fallamus. *S. CHRYS. hom. III, ad Pop.*

UTILITAS. — Quæ amat ardentius, currit velocius, et citius pervenit, perveniens non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur; sine mora aperitur ei tanquam domestice, tanquam charissimæ, tanquam specialiter dilectæ, etsingulariter gratæ. *S. BERN. s. XIII, in Cant.*

Fovete semper in sinu vestri cordis vividum quemdam, sanctumque fervorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores, quia rarum aliquod et exitium facinus antecellit sexcentis vulgaribus, minutisque. Ad quem enim virtutis gradum piger non potest adrepere, exigua temporis intercaepidine diligens mirabiliter volat. *S. IGN. in ep. ad Lusitanos.*

Ubi viderit Deus devotionem animi, ardentiorum insinuabit affectum, et quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium; quantum nos appo-

suerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. *CÆSAR. hom. III, ad Mon.*

Secundum proportionem (et fervorem) progressus anima, donum Dei bonitatem suam menti patefacit. *S. DIADOCHUS, LXXVII.*

Non est satis recte facere, nisi etiam maturare adjectis quod facis; uberiores fructus habet celerata devotio. *S. AMBR. lib. I, de Cain. c. v.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Fervor et profectus noster quotidie debet crescere; sed nunc pro magno videtur, si quis primi fervoris partem possit retinere. *L. I, c. XI, § 6.*

O si adverteres, quantum tibi pacem, et aliis lætitiâ faceres, teipsum bene habendo, puto, quod solliciti esses ad profectum spirituales. *lib. § 6.*

Magis Deus pensat, ex quanto quis agit, quam opus, quod facit. *L. I, c. xv.*

O quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ institutionis fuit! *L. I, c. XVIII, § 5.*

Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia, et Sanctorum suffragia ferventius imploranda. *L. I, c. XIX, § 6.*

Religiosus fervidus omnia bene portat, et capit, quæ illi jubentur. *L. I, c. XXV, § 7.*

Si te dederis ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorum laborem propter Dei gratiam et virtutis amorem. *lib. § 11.*

EXEMPLA.

S. David, quanto fervore cultum Dei promovere studuerit, ipse testatus est, dicens: Ego autem totis viribus meis præparavi impensas Domus Dei mei. *I. PARAL. XXIX, 2.*

S. Ignatius Loyola adeo ferventer orabat, ut, quoties orare inciperet, mox toto quasi vultu ignesceret. Imo ob nimium sæpe fervorem post Missam in morbum incidere. *MAFF. l. III, c. XII.*

B. Stanislaus Kostka iudicio medicorum ex solo amoris fervore mortuus est, cum febricula tertiana vix bis aut ter ipsum aggressa, naturaliter mortem ei afferre non potuerit. *Vita.*

Vide plura titulo Charitas.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut iter agentes locum insidiis et periculis famosum citatis equis prætervolant; ita ferventes, quia viam virtutis arduam, et ab inimicis obsessam norunt, magno fervore decurrunt. *BEURLING, text. I, in fest. Visit.*

Sicut in equis militaribus ea facilitas, qua freno parent, potissimum laudatur; ita in servis Dei præ reliquis Deo placet velocitas et promptitudo mandatis illius obsequendi. *Ibid.*

NECESSITAS. — Sicut si arcus vel balista remissa est, dioptram uno palmo altius ad scopum dirigere oportet; ita cum et mens nostra remissa sit, necesse est, ut altius conatus nostros intendamus, quo vel se scopum assequamur. *RODR. p. I, c. 8, tr. I.*

UTILITAS. — Sicut ad accensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in eam et faciunt vermes; ita et monachus successum igne divini Spiritus, demones fugiunt, tepidum vero illudant, et insequuntur. *Vita PP. I. III, c. XXXIX, n. 3.*

Sicut is, qui visibilem cursum magna contentione peragat, nullum occurrentium videt, etiamsi sæpius in illum incidat, sed animo ad cursum intento facile omnia transit, festinans ad destinatum scopum; eodem modo qui, ut virtutis cursum errat, festinat, et a terra ad cælum redire concupiscit, omnia, quæ videntur, deorsum derelinquit, donec veniat in verticem. *S. CHRYS. hom. 28, in Genes.*

Sicut ea, quæ a magnete tacta sunt, non quiescunt, donec septentrionali sideri obponantur; sic quorum corda Christus velut magnes spiritualis tetigit, non quiescunt, donec ipsi per amorem et fervorem adhaereant. *BEURL. l. VI.*

Sicut ignis, quo plus accipit nutrimenti, eo majorem accipit remunerationem, ea enim accessione materia augetur, non obtunditur; ita Dei dilectio accendit divinarum rerum contemplatione, et operationem hinc suscipit majorem et vehementiorem, et quo magis in rebus Domini versatus quis fuerit, eo magis accendit flammam dilectionis. *THEODORETUS. Orat. de Charitat.*

MOTIVA.

Charitatis Dei erga nos magnitudo; de qua recte et brevier dixit S. Bernardus: Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura. S. BERN.

Ejusdem Dei erga fideles servos liberalitas; de qua S. P. Ignatius in Constitutionibus recte dixit: Et universim, quo liberaliores nos erga Deum ostenderit, eo ipsum quoque erga nos liberaliorem experiemur. S. IGNAT. in *Const.*

Vita brevis; quis enim pauper, si unico die thesaurus ipsi regius aperiretur, cum facultate, quantum vellet, exportandi, non summum in exportandis et colligendis pecuniis conatum et fervorem adhiberet? Merito ergo Salomon monet: Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu prope- ras. ECCLES. IX, 10.

Invidias, quam experiuntur ferventer Deo servientes; nam vincentibus (sordium et teporem) datur manna absconditum celestium consolationum, ut omnia etiam difficilia cum magna facilitate et lætitia exequantur.

MEDIA.

Meditatio motivorum ad fervorem excitantiam; in hac enim meditatione exardescet ignis fervoris.

Mortis incerta cogitatio; de qua recte pius Auctor dixit: Si frequentius de morte tua, quam de longitudine vite cogitares, non dubium, quin ferventius te emendares. L. I, c. 1, § 5.

Secularium terrenas et perituras divitias et honores quærentium fervor; de quo S. Ignatius Lusitanis Fratribus sic scripsit: Nolite pati, ut hujus sæculi homines plus laborum et molestiarum suscipiant in conquirendis studiose voluptatibus ac rebus caducis, quam vos in celestibus ac divinis comparandis; pudeat, illos majori opera eniti ad aucupandam gratiam Principis mortalis, quam vos laboretis ad amicitiam cum æterno Rege conjungendam. S. IGNAT. in *ep. ad Lusit.*

Premii celestis magnitudo considerata; uti suavit libellus de imitatione his verbis: Age, quod agis; fideliter labora in vinea mea,

ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus et majoribus præliis vita æterna. L. III, c. XLVII, § 2.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia bene observare debet. Primum est, ut bene cognoscat et æstimet fervoris hujus prælium, nempe quod sit proprium indicium fidelis et Deum sincere, amantis servi, ut recte advertit S. Climacus, dum, quærens, quis est fidelis et prudens Monachus? respondet: Qui fervorem suum servat inextinguibilem, et in dies usque ad finem vite sue ignem igni adicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, et studium studio nunquam desit. S. CLIM. *grad.*

Alterum est, ut sciat, in quibus rebus potissimum suum fervorem ostendere debeat, videlicet in actionibus suis quotidianis recte obendis, in victoria sui, in rebus adversis generose supportandis, et minimis rebus eligendis et cupide amplectendis, uti sapienter advertit S. Maria Magdalena de Pazzi, ut quæ suas Moniales assiduo hortabatur, ne curarent res magnas facere in apparentia (uti sunt disciplina, jejunia, vigilia, humi cubationes) quia in his dicebat occultari superbiam periculosam animæ, sed potius facerent res minimas, quæ tamen magnæ fiant et sublimes per ordinationem earum ad altum finem, recta intentione, quia talibus valde delectatur Deus, et sunt abscondite adversario. *Vita*, p. 4, c. III.

Tertium est, ut sciat hunc fervorem per religiosam et prudentem discretionem moderari, ne per excessum illius corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor subtrahatur, ut recte alieni S. Bernardus notavit: Quare illud S. Spiritus motus semper ob oculos habendum: Mel invenisti? Comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud, uti contigit illis, qui, ut Thomas Kemp. loquitur, ineani propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt, quam potuerunt, non pensantes suæ parvitatæ mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis iudicium. Et quia majora præsumperunt, quam Deo placitum fuit, idcirco gratiam devotionis cito perderunt. Facti sunt inopes, et viles relictæ,

qui in cœlum posuerunt nidum sibi, ut humiliati, et depauperati discant non in aliis suis volare, sed sub pennis meis sperare.

MISCELLANEA.

QUALITAS.—S. Ignatius Loyola devotionem et fervorem, qui sine alteratione corporis concipitur, devotionem Angelicam vocabat, eo quod ejusmodi personæ sicut Angeli sine corporis inflammatione Deum laudent et ament. Deus Pater autem S. Catharinæ Senensis dixit, hoc esse sextum genus ignitarum lacrymarum. LANCIZ. *opusc.* VI, c. VII, n. 76.

S. Ambrosius recte proprietatem fervoris explicavit, dum dixit: Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.

Non male fervori etiam applicari potest illud Horatii:

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via,
Cœtusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente penna.

HORAT. I, III, *od.* 2.

De Fabio Cunctatore olim dicebatur, quod cunctando restituit rem; de cunctatoribus autem et in servitio Dei minus ferventibus rectius dicitur; quod cunctando destituant rem, id est, profectum in meritis et virtutibus. BERL. in *festo Visit. lect.* 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Pauperium fugiens.

HORAT. in *Epist.*

Quidni potiori jure similem alacritatem ostendat servus Dei in cœlestibus divitiis comparandis?

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, *opusc.* VI, cap. VII et *opusc.* V, c. IX, n. 152.

Ludovicus Cranatens. in *Locis Com.* t. 348.
Laurentius Beirlinek, in *festo Visitationis B. Virginis*, text. 1.

Thomas Stapletonus, in *Dom. Palm.* t. IV et *Dom. Pasch.* t. III.

Alphonsus Rodriguez, de *Perf.* p. 1, tr. I, cap. II, III et IV. Item c. XII et XIII.

Josephus Langius, in *Polyant.* V, *ed.*
Thomas Kempensis, de *Imitat. Christi*, l. I, cap. XXV et XIX.

S. Ignatius Loyola, in *Epist. ad Lusit.* de perfect. Relig.

Claudius Acquaviva, de *Renovatione Spiritus.*

Philippus d'Outreman de *Pædog. Christiano*, part. II, cap. XXIV, § 8.

FIDES.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO.—Est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint. Juxta D. Paulum, est sperandum substantia rerum, argumentum non apparentium. HEBR. XI, 11.

Super quæ verba sic loquitur S. Bernardus: Audis substantiam? non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libito, non hæc illuc vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine ali-quod certum tibi fixumque præfigitur. Non est enim fides æstimatio, sed certitudo. S. BERN. ep. CXIX, ad *Innocent.*

DIVISIO.—Dividitur communiter in *vivam* et *mortuam*; nam sicut vita animalis, ita fidei vita ex motu et operatione cognoscitur. Et hæc videlicet fides viva est, quam Sponsa in Canticis voluit poni super cor Fidelium, ut credant, quæ a veritate prima revelantur, et sicut signaculum super brachium, ut id, quod credunt, opere confirmet, CANT. VIII, 8, seu, ut loquitur Apostolus, corde credant ad justitiam, ore autem confessionem faciant ad salutem. ROM. X, 10.

Unde in Apocalypsi fideles appellantur *Signati*, eo quod signum veræ fidei habeant, dum crucem Christi confitentur, atque adeo in fronte illud habere merentur. APOC. VII, 4.

Hanc divisionem S. Aug. ex ipso nomine fidei deducit, dum ait: Fides appellata est ab eo, quod fit. Duæ syllabæ sonant, cum dicitur *fides*; prima syllaba est a *facto*, secunda a *Deo*. Interroga te ergo, utrum credas? Dicis: Credo. Fac, quod dicis, et fides est. Nam, ut S. Gregorius testatur, vera fides, quæ hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. S. AUG. ser. XXII.

ACTUS.—Corde credere.
Ore confiteri.

Opere confirmare.
Sanguinem proprium fundere pro fide.
Pro viribus spargere fidem, ac dilatare.
Contra hæreticos, aliosque hostes fortiter eam propagare.

EFFECTUS.—Quatuor ab Ascetis nume-